

**Disputatio medica, quaestionum quarundam medicarum enucleationem complectens ... / Praeside Melchior Sebizio ... respondente Iohan-Günthero Riemschneider.**

### **Contributors**

Sebisch, Melchior, 1578-1674  
Riemschneider, Johann Günther

### **Publication/Creation**

Argentorati : Typis Caspari Dietzelii, 1631.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/cgrhfvaw>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

265  
25

DISPUTATIO MEDICA,  
QVÆSTIONVM  
QVARVNDAM MEDICA-  
RVM ENVCLEATIONEM  
COMPLECTENS:

*In inclytâ Argentoratensium Academiâ ad  
disputandum proposita:*

P R A E S I D E

MELCHIORE SEBIZIO,  
MEDICINAE DOCTORE AC  
PROFESSORE, ET REIPVBL.  
ARCHIATRO:

R E S P O N D E N T E

IOHAN- GÜNTHERO Riemschneider /  
HANNOVERA- BRVN-  
SVIGO.



ARGENTORATI,  
Typis CASPARI DIETZELII Bibliopol.

ANNO M. DC. XXXI.

V O B I S ,  
V I R I , L I T E R I S , H V M A N I -  
T A T E , V I T A E I N T E G R I T A T E ,  
M V L T A R V M Q V E R E R V M E X P E -  
R I E N T I A C O N S P I C V I .

Dn. IOHAN- IACOBE Meyer / Assessor Senatus majoris Reipubl. Argentor. Prudentissime, proin dignissime.

Dn. IOHAN-ADOLPHE Grienwaldt.

Dn. SAMVEL Hugwardt.

Dn. IOHAN-PAVLE Reichhardt.

Triumviri monetarij  
apud Argentoratenses ut fidelissimi, ita  
meritissimi.

Fautores ac patroni plurimùm venerandi:

In debita observantia μνημοσυνον; meriti hono-  
ris & cultus symbolum; & felix novi an-  
ni auspicium, animo observantissimo ac  
studiosissimo, positiones hasce Medicas of-  
ferre & inscribere libenter volui; quia me-  
ritò debui,

JOHAN- GÜNTER Kiemschneider  
Author & Respondens.

PROBLEMA I.

*Sitnè Medicina scientia, an ars?*

**S**cientiam esse, autoritate & ratione probari posse videtur. *Authoritate* 1. *Galenī*, qui in *u-  
xοτεχν. c. 2.* Medicinam scientiā dici posse con-  
cedit. Deinde *Herophili*, definientis Medicinam, scientiam salubrium, insalubrium & neu-  
trorum. 3. *Erasistrati*, qui, ut *Galenus in introduct. c. 5.* scri-  
bit, eam scientiam partim, partim conjecturam proclama-  
vit. Cūm verò unius ejusdemque rei una tantum sit natura,  
& unum proximum genus; ideoque etiam Medicinam vel  
scientiam solum, vel solum conjecturam esse necesse est.  
Conjectura autem non est; hæc enim incerta admodum est  
& fallax, adeò ut nihil certi inde introduci possit; Medicina  
verò certa, & in suo esse firma est, quippe particularis Phy-  
sica: Scientia ergo. *Rationes* sunt sequentes. I. Quia Medi-  
cina Physicæ est subordinata: Atqui disciplina subalternans  
& subalternata debent comprehendi sub uno & eodem ge-  
nere. II. Quia plures partes Medicinæ in contemplatio-  
ne, quam in actione consistunt: At quæ disciplina talis est,  
rectius per scientiam quam per artem definitur: à potiori  
enim fieri debet denominatio.

Verum enim verò, *rationes* hæc tantum momenti & pon-  
deris non sunt, ut me cogant credere, Medicinam scien-  
tiā esse. *Prima* enim falsa est. Non enim Physicæ Medi-  
cina subordinata est, id quod in disputationis conflictu, si ra-  
tio à nobis postulabitur, ostendemus. *Secunda* iterum falso  
nititur principio. Disciplinæ enim non ex partium ordine

& inquisitione; sed ex ipso fine & subiecto adæquato sunt  
judicadæ & distinguendæ. Finis quippe & distinctio objecti  
3 formalis diversa pariunt disciplinarum genera; non quævis  
rerum distinctio. *Authoritatem* quod attinet, concedimus  
quidem, & id quām libentissimè, Medicinam aliquando  
non immeritò ab artis proceribus scientiā dici; sed ut met-  
ipse *Galenus* haud obscurè loc. *supr. cit.* innuit, vocabulo scien-  
tiæ *κωνώς*, in laxiori dictionis licentiâ, accepto. Notorium  
quippe est, scientiæ vocabulum esse *ὄμώνυμον*, & accipi 1. *Ge-  
neraliter*, pro cognitione quâcunque. 2. *Specialiter*, profir-  
mâ & certâ rerum necessariarum & sempiternarum cogni-  
tione, *duplicem sibi necessitatem* vendicante: in re scitâ *unam*,  
quærem ita constituit, ut aliter se habere nequeat: in animo  
scientis *alteram*, quæ mentem ita confirmat, ut certissimè  
statuat, rem illam aliter se habere non posse. Notorium  
quoque, in definitione rei alicujus essentiali proximum ge-  
nus cum differentiâ specificâ requiri. Cùm ergo scientiæ  
vox Medicinæ genus proprium non sit, meritò in defini-  
tione rejicitur.

Ars itaque est Medicina, & quidem sanitatem homi-  
nis præsentem, quantum possibile est, conservandi; amissam  
verò instaurandi. Vel, ut *Galenus* libr. *ad Thrasib. de sanit.*  
*c.s.* eam definit: Ars, ægrotorum curatrix, & sanorum con-  
servatrix. Vel, ut *Fernel. in prefat. suæ Med.* Ars, ad humani  
corporis sanitatem tuendam, profligandosque morbos  
comparata. *Ceterū*, vocabulum artis proximum esse &  
adæquatum genus Medicinæ, sequentibus rationibus, ab  
artium requisitis desumptis, planum facimus. I. Quia Me-  
dicina versatur circa certam, determinatam & peculiarem  
materiam. II. Quia certa habet instrumenta, per quæ ope-  
ratur. III. Quia peculiare opus, quod post operationem in-  
sensum incurrit, producit.

*Sitne in corpore humano actus pars similaris?*

**P**artes similares sunt, quæ in partes specie differentes dispesci non possunt. Vel: Quarum universæ particulae eandem omnino formam & temperiem referunt. Vel rectius: quæ πρὸς ἀντησιν σιντ απλα: sic enim Galenus lib. de optim. hum. corp. constit. eas definit. Hæ sunt vel verè & exactè tales; vel ad sensum tantum. Verè & exactè tales sunt, in quibus neque sensu accuratiore, neq; ratione diversitatem invenire est; vel, in quibus neque sensus neque ratio dissimilitudinem aliquam partium specificam animadvertis. *Ad sensum tales* sunt, quæ etsi primo intuitu tales videantur, tamen si diligentius spectentur, compositæ è pluribus deprehenduntur.

His positis, respondemus, de posteriori partium similarium genere dubium non esse, quin insint corpori humano. Insunt enim venæ, insunt arteriæ, insunt nervi, At hæ partes omnes ex albo partium similarium sunt, ut ex Galeni libr. de morb. diff. videre est. Lis itaque tantum est de iis similaribus partibus, quæ re verboque tales. Dicimus autem, & has in corpore animalis inveniri, moti præter authoritatem Arist. Galen. & Hippocr. hâc ratione: quia in corpore animalis ejusmodi partes actu reperiuntur, quæ ex aliis diversæ speciei secundum sensum & rationem non sunt compositæ, neque in tales divisibles. At ubi tales, ibi quoque partes re verboque similares. Tales autem inveniri in corpore nostro Galenus plurimis in loc. exemplo carnium, osseum, cartilaginum, membranarum, & ligamentorum, &c. declarat.

Nec obstat ratio quorundam Neotericorum, objectantium: omnes partes totius corporis humani esse ex ma-

teriâ & formâ compositas, ideoque non similares & simplices. Concedimus enim, eo modo, quo principia corpus physicum constituentia simplicia dicuntur, partes suprà enumeratas simplices & similares non esse: sed *xalà*? & secundum quid tales sunt. Resolutionem quidem patiuntur in materiam & formam: sed hæc non est resolutio partium in partes alias, sed simplicis partis in sua principia essentia- lia. *Nec obstat ratio Piccolhomini*, qui propter venas & arterias, quibus omnes indigent ad vitam & nutritionem, tales partes corpori humano inesse negat. Multæ enim sunt par- tes, & quidem propriè sic dictæ, quæ præsentia venarum & arteriarum non indigent, & in quibus venæ & arteriæ de- monstrari non possunt, videlicet humor Chrystallinus, car- tilago, &c. Hæ enim dictæ partes suum alimentum per transumptionem ex partibus vicinis attrahunt.

### III.

*Quotnam sint partes corporis humani princi- pales?*

**P**ars principalis est, quæ 1. simpliciter & absolute tūm ad constitutionem tūm ad conservationem individui requiritur. 2. Et vel facultatem, vel saltem materiam, vel utramq; simul toti corpori largitur. 3. Canalibus quo- que est instructa, quibus vel facultatem, vel materiam, vel utramque corpori communicat. 4. Et tandem, quæ regis & principis instar in certo aliquo ventre, tanquam in regiâ residet, & cui omnes partes circumiacentes famulantur & serviant, ut videre est *apud Galen. lib. de placit. c. 10. & libr. 14. de usu part. c. 1.* Principales itaque videntur esse corporis hu- mani partes tres: Tres enim tantūm sunt, quibus requisita modò recensita competunt, *Cerebrum* scilicet, *Cor* & *Hepar.*

Verūm

Verum enim verò, si naturam partium nostri corporis penitus inspiciamus, deprehendemus utique, alias adhuc superesse, quæ tam benè partes principales dicendæ, quām quæ optimè, videlicet *Testes*. Nam pars, cui vis & facultas σπερματοποιητικὴ primariò & principaliter à naturâ indita, rectissimè pro parte principali habetur: sine hac enim continuatio speciei nullo modo fieri potest: Attales sunt testes: Ergò. Distinguimus igitur inter partes principales: & quasdam ad conservationem individui; quasdam verò ad speciei propagationem spectare dicimus. Illæ sunt, de quibus requisita supra enumerata accipienda: Hæ, quæ circa materiam generationis sunt occupatæ. Quatuor ergò membra sunt corporis humani principalia: *Cerebrum, Cor, Hepar & Testes.*

#### I V.

### *Quid sit causa continens?*

**D**E hac causâ, certam & peculiarem quandam morborum causam efficientē denotante, quæ Græcis οὐκενήσιον, συνεχὲς, συνέχον καὶ προσεχὲς; Latinis verò **Continens** seu **contentiva**, & coniuncta seu conjunctiva: introducta à Stoicis, ut testatur *Galen. l. advers. Julian. c. 6. & libr. de plenitud. c. 3.* de hac, inquam, causâ diversæ diversis ab authoribus definitiones proferuntur: ut jam taceamus eos, qui prorsus explodere hanc omnibus viribus conantur, inter quos non postremus est Fuchsius, alias præclarissimè de medicâ meritus.

*Vallesius l. 4. Controvers. Med. & Philosoph. c. 3.* Continentem causam definit, quod sit causa, quâ ablatâ, statim effectus tollatur, ita ut ne momento quidem temporis durare potis sit. *Fernel. vult, l. 1. παθολογ. c. II.* Continentem causam esse eam, quæ incorpore morbo proximè adhæret, eique est annexa. *Argenterius libr. 1. de Caus. morb. c. 10.* statuit, cau-

sam conjunctam esse à *μετρίᾳ* & injustam proportionem componentium. *Galenus in definit.* Med. ait, conjunctā causam esse, quâ præsente, morbus ponitur & servatur; absente verò, tollitur. *Et libr. advers. Julian.* inquit, Continentem causam esse eam, à qua aliquid fit, & cum quâ pariter cefsat. Nos Galeno subscribimus, dicimusque, Continentem causam esse, quâ positâ, morbus ponitur; auctâ, augetur; diminutâ, diminuitur; sublatâ, tollitur.

V.

*Subsistatnè morborum curâ in ablatione causæ præcedentis, quam Græci περὶ γυγνέων appellant; aut in extirpatione causæ continentis, quam συνεχίζουσι?*

**M**ovet hanc quæstionem *Iohan. Langius l. i. Epist. Medicin. Epist. 14.* Quum, inquit, de nominibus altercatio (*loquitur autem de iis, qui scrupulosè nimis de verbis sunt solliciti, res interim ipsas negligentes*) curam morborum non variet, plus conduxisset scrutari, an morborum cura in ablatione causæ præcedentis; an in extirpatione causæ continentis subsisteret? Hæc ille.

Pro decisione problematis hujus præmittendum **pri-**  
**mò,** Causas morbificas esse, vel externas, vel internas. Has iterum vel remotas & mediatas; vel proximas & immedias: quæ iterum bipartitæ: velenim sunt morbo proximæ, ita tamen, ut possint remoyeri & tolli, morbo nihilominus manente; vel ita affectui sunt conjunctæ, eiq; sic adhærent, ut ne momento temporis sine iis durare possit, sed iis sublatis, statim morbum quoque tolli necesse sit, quæ nomine **causæ continentis** insigniuntur. Notandum quoque & præmittendum **secundò**, morborum constitutionem esse duplccem: *Vnam, quorum essentia in facto esse subsistit: Alteram, quorum*

quorum in fieri; idque *tripliciter*, ut videre est apud *Sennert.*  
l.2. *Instit. Med. p.1.c.11.* videlicet, 1. *Propriissimè*, cùm morbus  
fit & generatur. 2. *Secundum quid*, quando quidem factus  
morbus; sed adhuc augetur. 3. *Analogicè*, cùm factus qui-  
dem & absolutus est morbus, absq; causa tamen generante  
in corpore subsistere non potest.

His præmissis, causisque morborum προκαλαρχημάτις vale-  
re jussis (ab his enim in nullo morborum genere remedio-  
rum indicationem desumi posse, docet *Galenus. l. 4. Meth.*  
*med.c.3.*) respondemus: In morbis tollendis, qui jam facti,  
absoluti & permanētes, & de causæ προηγυσμένης sive remotæ,  
& de proximæ ac immediatæ extirpatione, siquidem ad-  
huc adsint, laborandum esse; sin minus, ipsum statim af-  
fectum removendum. De continentis autem expulsione  
nequaquam cogitandum, hanc enim non habent. In iis au-  
tem morbis, qui dicuntur fientes, & quidem primo modo,  
quorum videlicet esse adhuc à generante causâ dependet,  
perpetuò de causæ remotione cura cogitatioq; prima su-  
scipienda: quoniā eā sublatā morbus generari desinit. Idem  
faciendū in iis, qui secundo modo & κατὰ fieri dicuntur.  
In morbis, qui ἀναλογικῶς dicūtur fientes, semper indicatio  
remediorum à causa continente desumenda. Nam hi mor-  
bi ita à causâ suâ (continente) dependent, ut sine illâ & abs-  
que illius præsentia subsistere & in corpore hærere non pos-  
sint. Quare illâ demptâ, statim quoque affectus cessant &  
tolluntur: non aliter, quam flamma, quæ, nutrimento de-  
ficiente, extinguitur.

### V I.

*Accidatnè malacia tantum gravidis; an etiam vi-  
ris & virginibus?*

Picâ qui laborant, appetunt interdum acida, acerba

B

& acria;

& acria ; interdum quoque inepta & alendo corpori prorsus inutilia , terram scilicet , lutum , testas , cretam , carbones , carnes crudas , immò quoq; humanas , & multa hujus furoris similia alia , sic referente *Galenō l. 1. de sympt. caus. c. 7.* & *Langio l. 2. Epist. Med. Epist. 12.* ubi exempla dictu horrenda , auditu miranda & proinde lectu digna recenset . Causa hujus mali , *ut iidem Authores iisdem in locis* docent , in ventriculo hæret , & est humor vitiosus & pravus , tunicis ejus impavidus , qui vel in ventriculo gignitur , ex pravâ viâ ratione & cibis pravis frequentius assumptis ; vel aliunde affluit , videlicet à venis , & in sexu fœminino ab utero : & excitat hoc malum qualitate suâ , tam manifestâ quam occultâ . Hoc enim negandum non videtur , quia non semper ad manifestas qualitates vitiosi hujus appetitus causæ referri possunt .

Hoc vitium , cùm præsertim mulieribus uterus feren-  
tibus accidere videamus , quibus ob suppressionem men-  
strui sanguinis maximè familiare est , & proinde ad sympto-  
mata , quibus gravidæ tantum laborare solent , referti debe-  
re videatur ; non immerito quæritur : Annon etiam viros &  
virgines infestet ? Et respondemus , quod sic , moti I. *Autho-  
ritate 1. Langii , loc. supr. cit.* scribentis : Accidit hic stomachi  
affactus masculis quoq; ac femellis , quum rugosæ illius tu-  
nicæ orificii acidis , acerbis & amarulentis imbutæ fuerint  
humoribus : qui illum similia vel etiam absurdiora appetere  
urgent . 2. *Sennerti* , qui *libr. 2. Inst. Med. p. 3. f. 2. c. 1.* dicit : Acci-  
dit vitiosus hic appetitus interdum quoque viris ; sed magis  
familiaris est fœminis , & præsertim prægnantibus , præci-  
piè primis duobus aut tribus mensibus . 3. *Fernelii* , qui *lib. 6.  
παλολογ. c. 3.* viri nobilis meminit , qui tanto incredibili calcis  
vivæ edendæ desiderio flagrabat , ut illam pugni magnitudi-  
ne devoraret . 4. *Galenī* , qui *libr. 1. de caus. sympt. c. 7.* idem quod  
*Langius* docet . 5. *Schenckii* , qui *libr. 3. observ. f. 1. observ. 33.* mul-  
tas .

tas historias recenset, quibus planum facit, tam viros tam  
fœminas & virgines, imò & infantes & pueros hoc malo af-  
flictos fuisse. II. *Ratione*: Quia res, cittam causantes, tetri  
scilicet humores, æquè virorum & virginum, ac mulierum  
gravidarum ventriculum afficere possunt.

*Quæres*: An in hoc affectu similia humoris peccanti, an  
contraria appetatur? *Respondent* alii aliter. *Rondoletius, meth.*  
*med. libr. 3. c. 14* similia appeti contendit: ut, si atrabilis in vē-  
triculo effusa sit, non usta, sed acida appeti; si usta sit & inci-  
nerata, carbones, cineres, & alia alimenta sicca; si salsi hu-  
mores, salsa. *Sed plerique* cum *Avicennâ* contrariū sentiunt,  
atque existimant, ventriculum potius contraria, quasi re-  
media, quæ humores illos vitiosostollant; exposcere; cùm  
sensus malè affectus contraria requirere soleat, quibus ex-  
cessus ille qualitatum sibi molestiarum corrigatur. Nos di-  
stinguimus, & quandoque similia, quandoq; contraria ap-  
peti credimus. Similia scilicet, quando intemperies, quam  
vitiosi humores introducunt, jam planè facta est connatu-  
ralis, & facultas naturalis planè perversa: Contraria verò,  
quando dicta intemperies nondum planè facta connatura-  
lis, nec facultas naturalis prorsus immutata; tunc enim, quia  
adhuc habet aliquid virium, sui similia appetit, ut se conser-  
vet, & affectui contraria, ut illum expellat, & tanquam ho-  
stem protrudat..

## VII.

*Qui fiat, quòd e& muti sint, qui surdi nascuntur?*

*T*òòl. ponunt *Hippocrates l. de carnib.* ubi scribit: οὐ καθόλον  
γενέτης ἐκ επίστανται διαλέγεσθαι, surdi à nativitate loqui  
nesciunt: Et *Aristoteles l. 4. hist. an. c. 9.* ubi dicit: οὐ καθόλον  
γενέτης πάντες καὶ ἑρετοί, surdi qui sunt à prima nativitate, iidē &  
muti sunt: deniq; & *Alexand. Aphrodis. l. 1. probl. 133.* quo loci in-

rei istius causam inquirit. Sunt autem qui dicant, id ē esse par-  
nervorum, quintum scilicet, cuius pars altera ad linguam,  
altera ad aures extendatur, quo non recte se habente, ne-  
cessum sit, ut communis fiat affectio aurium & linguæ, &  
homo non solum surdus, sed & mutus evadat. Quām verē  
autem hæc dicātur, iis, qui in arte anatomicâ benē sunt ver-  
fati probèq; exercitati, judicandum relinquimus. Nobis ve-  
ritati consona non videntur: idque ideò, quod multos sur-  
dos, quos morbus tales fecit, videamus, qui tamē loquūtur.  
Cur ita? Diversitas certè organorū ἐρμηνευτικῶν καὶ ἀκογών  
in causa esse videtur, quod nimirū alia sunt organa auditus,  
alia locutionis, quibus salvis existentibus, loquitur homo,  
licet auditu per morbum privatus sit. Rectius itaq; sentiunt  
ii, qui surditatem ipsam proximam & immediatam causam  
hujus mali statuunt. Locutio enim nobis non connascitur  
& naturâ inest; sed docendo discēdoq; acquiritur. Sed quo-  
modo dictiones, quibus in loquēdo utimur, ab iis disci pos-  
sunt, qui auditu carent? Est enim hic secundūm Arist. l. de sens.  
c. 2. disciplinæ sensus, quo qui privati sunt, doceri nequeunt.  
Valeant ergo, qui dicitant, si quis ab infantiâ nullâ imbue-  
retur linguâ, futurū, ut hebraicè loquatur. Huic rationi sub-  
scribunt etiam Alex. Aphrodis. loco allegato, & Scaliger in Com-  
mento l. 4. hist. an. c. 9. qui locus lectione est dignissimus.

---

AD DOCTISSIMVM DOMINVM RESPON-  
DENTEM, AMICUM SUUM  
charissimum.

**E**st bene doctus homo, qui scribit dogmata docta,  
Fortiter atque suo Marte tuetur ea.  
Tu prestas istud, IANEO doctissime, docte!  
Ergo olim Doctor nomine clarus eris.

Adponebat  
HENRICUS SCHUMIUS Languisa-Thuring.  
SS. Theol. Stud.